

P R Æ F A T I O.

obedientiam liberorum erga parentes commemorat inter peccata, quæ sub tempus extremi iudicij in humano genere præcipuè abundabunt, Nam ita 2. Tim. 3. inquit : In extremis diebus instabunt tempora periculosa, Erunt homines sui amantes, auari, superbi, fastuosi, maledici, parentibus immorigeri, impij, ingrati, ἄσοφοι, nescij foederis, calumniatores, immites, negligentes bonorum, proditores, præcipites, inflati, uoluptatum amantes potius quàm amantes Dei: habentes formam pietatis, sed qui uim eius abnegant. His uerbis Apostolus statum, studia & mores hominum postremis mundi temporibus, quæ nunc haud dubiè sunt, graphicè & uerè depinxit: & reuera maxima pars hominum talis nunc est, quales Apostolus futuros homines extremis temporibus hïc prædixit. Deinde indoctum uulgus scholasticos nostros labores, tum docentium, tum discipulorum doctrinam utilem humano generi, iudicat tantum esse ignauum otium, aut oblectamenta, & ludum similem illius, qui granum milij acimi gratia solitus est proijcere in aciem aciculæ: cum tamen reuera labores nostri quotidiani, & penè omnium horarum, sint molestissimi, & Sisyphi saxo grauiiores. Et, quia talis est non solum uulgi, sed etiam multorum, qui potentia et opibus excellunt in mundo, censura de scholasticis nostris laboribus, & dignitate literarum & uirtutum, pauci admodum sumptus conferunt ad alendas & instituendas scholas: imo quæ

oꝛes